qui inter Germaniæ noſtræ proceres primus hiſtoriam ſcripſiſſet. Quibus tertium accedebat, quod in opere iſto ſinguli quædam patriæ ſuæ primordia recognituri eſſent. Nam quæ tibi, *Diſtelmeiere*, ortum dedit *Lipſia*, nominatur ab auctore ſemel atque iterum, & quidem urbis nomine appellatur, ſubjicitque idem & hoc alterum diſerta mentione, Eccleſiam Lipſienſem attributam ſibi ab Henrico II. Cæſ. Nec de ipſius *Marchiæ Myſnenſis* fundatione, non etiam de *primorum Marchionum hiſtoria*, alibi uſpiam vel verius vel exquiſitius explicatum eſt. Tametſi de *Lipſia* non negârim, quod ab aliis traditum eſt, muro hanc primum cinctam ab Othone Marchione, cognomento Divite, qui idem & *Fribergam* condidit. *Sileſiorum* nomen, unde tu, *Albine*, genus & proſapiam ducis. Ditmari ætate nondum celebrabatur, ſed *Poloniæ* accenſebatur. Nec de notione hic diſputo, non etiam gentis originem inculco. Quanquam de nomine magis eorum probarim conjecturam, qui â *Slavis* derivarunt: Sicuti & à trajectu horum *Vratislavia* nomen conſervavit. Et nuncupatum eodem modo de ejuſdem etiam gentis appellatione *Sleſvicum* in Daniæ confinio. Memorat tamen Ditmarus vetuſtiſſimam Sileſiæ civitatem *Glogoviam*, memorat *Zaram* vel *Soraviam*, quæ haud dubiè de *Sorabis* id nomen tulit quemadmodum ad eosdem alludunt *Zorbeck* & *Zerbſt*, quæ & ipſa auctor habet. Iam neque nihil forſitan fuerit, quod de *compendiaria primorum Myſniæ Marchionum è Ditmari expoſitionibus contexta * hiſtoriola*, & altera *de eiusdem familiæ atque vita*, operæ noſtræ debeatur. Quo circa officium id, quam obſervantiæ erga vos meæ teſtificationem eſſe volui, in bonam partem accipiatis, meque deinceps, atque id genus ſtudiorum, inclientelam admittatis, quæſo etiam atque etiam. Equidem ut ad hiſtoriæ hujus editionem animum appellerem, cum alia ad commodum publicum pertinentia pelliciebant, tum privatum iſtud incitabat, quod auctor patriam Saxoniam, quam veteres ita nuncuparunt, mecum communem haberet, & hæc â me homini populari pietas deberetur, ut quem infauſtus quidam genius hactenus â repub. litteraria excluſiſſet, reſtitueretur in integrum, & dignitatem ſuam tuendo, gratam atque utilem omnibus opem exhiberet. Sanè quod ſuprà indicavi, *fuiſſe inter Imperii Germanici optimates*

* Præfixius hanc Montiſeni Chronico, pag. 57. cum continuatione uſq; ad FRIDERICVM Bellicoſū.